# APHTHONII SOPHISTAE PROGYMNASMATA RHETORICA, RODOLPHO...

Aphthonius, Rudolf Agricola

# LECTORI.

Habes optime lector exercitationis modos quatuordecim ad parandam orationis facultatē, adaugendamq; item eloquentiā cum primis neceſſarios: vt quos & primos habuit, & diu ſolos, prima Rhetorices inſtitutio. In quibus ſi te diligenter exerceas, nimirum comperies nihil eſſe quod ad vlla dicendi præexercitamenta pertineat, quod in hiſce non ſit traditum, diſcuſſum, & abſolutum. Fruere lector, & faue.

## CENSVRA IN APHTHONII progymnaſmatum elenchon.

Deliberatiui ſunt generis:
- Fabula
- Hiſtoria
- Chria ſiue vtilitas
- Sententia
- Theſis.

Fabula quidē non multū indiget exercitatione.

Iudicialis ſunt generis:
- Comprobatio
- Improbatio
- Locus communis.

Demōſtratiui ſunt generis:
- Laus
- Vituperatio
- Imitatio
- Comparatio.

# APHTHONII SOPHISTAE PROgymnaſmata, Rodolpho Agricola Phriſio interprete.

## Fabula. I.

FABVLA initio poëtarum fuit. Poſtea verò, quòd erudiẽdis pueris apta erat, à rhetoribus eſt etiam vſurpata. Eſt autem fabula oratio falſa ſimilitudinem exprimẽs veritatis: dictáque Sybaritica & Cilix & Cypria, ex inuentoribus nomen permutans. Euicit tamen vt magis Aeſopica vocaretur, quòd omnium optimas Aeſopus fabulas conſcripſit. Et ſunt fabularum aliæ quidem rationales, morales aliæ, aliæ mixtæ. Rationales ſunt, quibus aliquid facientem hominem effingimus. Morales, quæ ratione carentium morem imitantur. Mixta eſt, in qua vtrunq;, rationale & irrationale iunguntur. Id autẽ cuius vel docendi cauſa vel admonendi fabula receſetur, ſi præponas, προμύθιονς, id eſt (vt ita dixerim) præfabulare: ſi ſubiicias fabulæ, ἐπιμύθιονς, id eſt ſubfabulare appellatur. Exemplum. Media feruebat æſtas, atque læto inter arbuſta cicadæ carmine ſtrepebant. Laborabant verò formicæ, colligebantq; frumentum, quo futuræ hyemis inopiam tolerarent. Veniente deinde hyeme, formicæ laboribus ſuis paſcebantur, cicadis verò ignaua illa voluptas eſt verſa in famẽ. Hoc pacto ii qui in iuuenta defugiũt laborẽ, in ſenecta egeſtate tabeſcũt.

Fabulæ diuiſio.

Subfabulare.

## Narratio. II.

Narratio eſt rei factæ vel tanquam factæ expoſitio.

Diuiditur autem in poëticam, hiſtoricam, & ciuilem. Poëtica eſt quæ habet expoſitionem fictam. Hiſtorica, quæ vetuſtam rerum commemorationem. Ciuilis eſt, qua rhetores vtuntur in cauſis. Inſunt autem narrationi ſex: Perſona faciens, res facta, tempus circa quod, locus in quo, modus quo pacto, cauſa propter quã. Quatuor verò ſunt virtutes ipſius, perſpicuitas, breuitas, probabilitas, & verborum proprietas. Exemplum.

Si quiſquam eſt qui roſæ decorem miratur, is animo mihi Veneris reputet vulnus. Amabat enim dea Adonidẽ, contrà Mars ipſe deam amabat: pariq; dea Adonidis amore, quo Mars Veneris tenebatur. Flagrabat deæ deſiderio deus: dea ſequebatur hominem. ſimilis vtrorunque ardor, tametſi natura inter ſe vt dii homoq; differrent. Inuidens Mars Adonidi, perimere ipſum decreuit, vnicum abolendi amoris remedium, mortem ipſius arbitratus. Percuſſò demum Adonide, quum rem dea accepiſſet, vt ſuccurreret feſtinabat: raptóque properanter inter roſaria curſu, ſpinis incidit, calcemq; pedis perſtrinxit. defluens autem ex vulnere ſanguis, roſæ colorem in nouam faciem mutauit: ſicq; roſa quæ initio fuerat alba, in hunc quo nunc aſpicitur tranſiit colorem.

## Chria, ſiue vſus. III.

Chria, id eſt vſus, eſt ex perſona alicuius dicti factíve breuis commemoratio. Vocata verò eſt vſus, quòd vtilis in primis ſit. Eſt autẽ vſuum alius rationalis, actiuus alius, alius mixtus. Rationalis eſt, qui oratione ſola vtile aliquid demonſtrat: quale eſt: Plato inquit virtutis ramos

Marginal notes: [Diu]iſio narrationis. | Narratio[nis] virtutes. | Perſona faciens. | Res facta. | Quod quo pacto. | Cauſa propter quam. | Locus in quo. | Tempus circa quod. | Diuiſio vſus.

mos ſudore & laboribus enaſci. Actiuus, qui factũ ſolum aliquod recenſet: vt, Pythagoras interrogatus quãta eſſet hominum vita, parumper vidẽdum ſe præbens, ſubitò abſcondit, vitæ humanæ menſuram, conſpectus breuitate indicans. Mixtus eſt, qui ex vtroq;, & oratione & facto conſtat: quale eſt Diogenis illud, qui quum vidiſſet adoleſcentulum immodeſtius agentem, pædagogum verberauit, ſubiiciẽs: Quid ita talia doces? Hæc verò diuiſio eſt vſus. Diſpones verò ipſum his capitibus: Laudabis primùm perſonam, deinde explicabis vſum: poſtea confirmabis, primùm cauſa aliqua, hinc ex contrario, deinceps ſimilitudine, exemplo, teſtimonio veterum, poſtremò epilogo breui concludes.

Exemplum. Laudari iuſtum eſt propter egregiam doctrinam Iſocratem, qui nomen ipſis profectò ſtudiis clariſſimum dedit, quantáque vis eſſet ipſorum, experiendo exercendoq; oſtendit. Eò ſanè gloriæ proceſſit, vt potius dediſſe nomen ſtudiis ſuis, quàm laudẽ ab ipſis accepiſſe videatur. Quibus autem vel reges admonens, vel inſtituens priuatos, bene de hominum meruit vita, longum eſſet recẽſere. Verùm quod de eruditione tradidit, haud ab re fuerit commemorare. Amator, inquit, eruditionis, à laboribus auſpicatur, ſed laboribus deſinentibus in vtilitatem. Quod quàm verè ab eo rectéque dictum ſit, vel hinc erit perſpicere. Amantes enim eruditionis, à ducibus eruditionis conquiruntur primùm: ad quos accedere, verſaríque apud ipſos, vt formidoloſum eſt, ita relinquere ſtultiſſimum. Et pueri quidem nunquam metu vacant, & quum adſunt præ-

Encomium perſonæ.

Vſus explicatio.

Primum cõfirmat. à cauſa.

ceptores,& quum venturos expectant. Succedunt præceptoribus pædagogi duri aſpectu, caſtigantes verò cædenteſq;, duriores. Itaq; & pœna antè metu ipſo eſt grauis, & metum grauius ſubſequitur experimẽtum: errataq; omnia puerorum ſeueriſſime vindicantur, rectè facta verò, velut ad ea demũ nati ſint, exactiſſime exiguntur. Iam verò pædagogis ipſis etiam patres ſunt moleſtiores, in deambulationes inquirentes, & vetantes egredi in publicũ, forumq; ipſum ſuſpectum habẽtes. quòd ſi animaduertere oportuerit, grauius, & velut naturę ætatiſq; obliti coërcent. Verũtamen per iſta, quum ad virilem ætatem peruenerit puer, cumulatur virtutibus.

[H]inc ex [co]ntrario. Qui verò veritus iſta, fugerit magiſtros, deſeruerit patres, pædagogos auerſetur, prorſus expers eruditionis manebit: fugienſq; metum, ſimul cum ipſo doctrinam relinquet. Hæc nimirum Iſocrati animum induxerunt vt eruditionis acerbam vocaret radicem.

[D]einceps [a ſ]imilitudi[n]e. Quemadmodum enim qui terram colunt, in ipſam multis antè laboribus ſubactam ſemina deiiciunt, fructus verò maiori comportant voluptate: ſic qui ad ſtudia accingũtur, multa cura ſequentem demum gloriam comprehendunt.

[E]xemplo. Aſpice autem mihi Demoſthenis vitam, qui oratorum omnium laborioſiſſimus, omnium quoque clariſſimus euaſit. Tantum enim illi ſtudii ſuperabat, vt comam natiuum capitis ornamentum detonderet, multo optimum ornamentum putans virtutem: & laboribus conſumpſit, quæ ad voluptates reliqui profundunt. Idcirco præclarè hoc (vt omnia) Heſiodus ait, aſperã eſſe

[T]eſtimo[n]io veterũ. ad virtutem viam, cacumen verò molle, eandem certè

quam

quam Iſocrates ſententiam: Heſiodus enim viam vocauit, Iſocrates autem dixit radicem: differétibus nominibus eandem vterque ſententiam explicantes. Reſpicientes ergo ad iſta, laudabimus meritò Iſocratem, pulcherrimè hæc de eruditione tradentem. Poſtremo epilogo breui.

Sententia. IIII.

Sententia eſt oratio breui cóplexu aliquid quod ad hortandum dehortandúmve pertinet, explicans. Sententiarum verò alia exhortans, alia dehortans, alia enunciás. Eſt item alia ſimplex, alia compoſita. Præterea, alia probabilis eſt, alia vera, ſuperlata alia. Exhortans ſententia eſt, vt: Oportet hoſpitem præſentem amare, volétem verò mittere. Dehortans, vt: Sententiarũ diuiſio.

Turpe, quiete ducem totas deperdere noctes.

Enuncians, vt: Pecuniis opus eſt, ſine quibus nihil eorũ quæ neceſſaria ſunt, rectè fiet. Simplex autem, vt:

Optimum id augurium eſt, patriam tutarier armis.

Compoſita, vt:

Multos eſſe malum reges, rex vnicus eſto.

Probabilis, vt:

Quales amicos quiſque habet, talem ſcias. Vera, vt:

Expers malorum vita nulli contigit.

Superlata, vt: Infirmius nihil homine. Hoc ergo pacto ſentétia diuiditur. Tractabis verò ipſam eiſdem capitibus, quæ in vſus explicatione diximus. Laudabis primùm, deinde explicabis, tum confirmabis ex cauſa, ex contrario, ſimilitudine, exemplo, teſtimonio veterum: demum breui epilogo concludes. Differt autem ſententia ab vſu, eò quòd vſus perſæpe actiuus eſt, ſentétia ve-

rò ſemper rationalis : deinde quòd vſus ſemper habet additam perſonam, ſententia & ſine perſona effertur.

Theognis:

Exhortans ſententia.

In mare fluctiuagum,ne te premat aſpera egeſtas,
Deſili,& à celſis corrue Cyrne iugis.

Exẽplũ · Indignũ Theognidi viſum eſt,Poëticã velut rem ineptam accuſari. itaq; relictis fabularum cõmẽtis, ipſe ad formandos mores,vitamq; inſtituendam, ipſam traduxit.Quum videret enim poëtas compoſitis fabulis velut præclaro aliquo inuento gaudentes, ipſe ſatius duxit,quomodo rectè viuatur,carmine cõplecti. Laudandus certè ob vtrunq; , & ob metri gratiam, & quòd meliorum admonens,inſtitutionis attulit fructum. Sed huius vt alia omnia, ita hoc in primis meritò quis laudauerit, quod de paupertate dixit. Et quid inquit? Viuens in paupertate,præcipitẽ mittere ſe, quò ipſam vitet,non dubitet:tanquam melius ſit præmaturè vitã relinquere,quàm ſolem dedecoris ſui habere teſtem. Dixit quidem ille hæc,quæ rectiſſimè ab eo dicta eſſe conſtabit, ſi quis verũ volet intueri. Degens enim in paupertate,quum adhuc minor natu eſt, nequit exerceri ad virtutem.vt verò ad virilem peruenerit ætatem, improbiſſima faciet.legatus enim pro patria, pecunia corrumpetur.concionaturus, quò ſpes lucri duxerit, eò flectet orationem. ius verò dicturus, pro largiente pronunciabit. Vacui autem paupertatis curis, & pueri ad ſpem protinus honeſtiſſimam virtutis attolluntur: & viri facti cuncta ſplendidè adminiſtrant, iam in pace ſumptũ edendis publicè muneribus, faciendiſq; ludis præbẽtes,

Laudat.

Explicatio.

Cõfirmat cauſa.

Ex contrario.

iam in bello impenſas in toleranda militiæ onera conferentes. At verò quemadmodũ grauibus aſtricti vinculis,quo minus liberum ipſis ſit quod velint agere,vinculis prohibentur : ſic in paupertate degentibus obſtat quo minus exercere libertatem poſſint,ipſa paupertas. Irum vides, qui quum Ithacenſium vnus eſſet, non tamen id iuris illi,quod reliquis ciuibus erat. Verùm tam moleſta ei fuit paupertas, vt nomen quoque inopia permutarit. nam quum primùm Arnæus vocaretur, Irus appellatus eſt, cognoménque ex profeſſione accepit. Et quid oportet Irum dicere? Ipſe qui Ithaca quoq; potiebatur Vlyſſes,poſtquam domum rediens paupertatem ſimulabat,ipſius etiam ſenſit mala. deluſus enim, & ab ancillis inebriatus eſt. Adeò etiam ſpecies eſt paupertatis moleſta. Præclarè ergo rectéq; Euripides inquit,malum eſſe nihil habere,neq; paupertatem nobilitate leuare. Quomodo ergo quis ſatis & pro dignitate laudabit Theognidé,talia tamq; grauiter de paupertate monentem?

Simili dine.

Excpl

παροιμίωος.

Teſtim nio vete

Epilog

Deſtructio ſiue ſubuerſio. V.

Deſtructio vel ſubuerſio, quam ἀνασκευὴν Græci vocant,eſt propoſitæ alicuius rei reprehenſio. Subuertenda verò neque manifeſta valde, neque prorſus incredibilia,ſed ea quæ velut mediæ ſunt conditionis.Oportet autem quum ſubuertere aliquid voles, primùm eos reprehendere qui dixerũt, deinde ſubiicere rei expoſitionem,poſtea ipſam ſubuertere his partibus, obſcuro videlicet,incredibili,impoſſibili,non cohærente, indecoro,inutili.Hoc autem præexercitamentũ omnem pro-

pemodum vim artis in ſe complectitur. Exemplum.

nū eos chen- qui di- nt. Poëtarum coarguere ineptiam, abſurdum mihi videtur, quū vel ipſi fidem ſibi detrahant, hisq; maxime pręter alia, quæ de diis tam impudenter fabulantur. Prorſus enim ſuperuacuū videtur, poëtarum vllam nos habere rationem, qui deorum, quorum cura omnia gubernantur, nullam ipſi habeant curam. Et graue quidē videretur, quiſquis ab ipſis deorum in fabulam miſſus eſſet: Apollinem verò, quem artis ſuæ ducem videri volunt, impudentiæ ſuæ materiam eſſe, quis eſt qui æquo animo perpeti poſſit? Libet ergo audire qualia de Apolline & Daphne confingant. inde cit xpoſi- ерu. Daphne, inquiunt, ex terra Ladoneq; fluuio procreata eſt. Hāc ob egregiam ſpeciem, eximiumq; oris decorem, Phœbus adamauit: cupiensq; deus reſtinguere deſiderium ſuum, aſpernantem fugientemq; ſequutus eſt, ſed cōprehendere nequiit: verùm terra mater, abſumpta filia, florē eo quo puella nomine, pro ipſa exhibuit: ipſam verò in arbuſtum vertit: cuius rami propter deſiderium puellæ in coronam Pythio Tripodi dicati ſunt, flos verò in mercedem ceſſit diuinationis. Huiuſmodi quidē ſunt quæ illi fabulātur: quæ quàm ſit in promptu cōfutare, hinc facilè liquebit.

ouer- oſcuro Daphne ex Ladone & terra procreata eſt. Quis oro tā demens, vt ex his quēquā naſci poſſe credat? Ipſa homo fuit: illi autem diuerſam, & ſuam vterq; habebant naturam. edibi- Quomodo verò Ladon terræ coniunctus eſt? an quòd aquis ipſam inundat? Quin omnes ergo fluuii, terræ mariti dicantur, quum nullus ipſam non aquis ſuis irriget? Quòd ſi ex fluuio homo nata eſt, quid ni ex homine

mine fluuium quoque naſci poſſe credemus? Quî minus enim tales ex filiis poterũt gigni, quàm ex qualibus ipſi prodierũt? Iam quo pacto nuptias fluuii terręq; nominant? Sentientium enim coniugiũ eſt: terra autem fluuiusq;, ſenſus ſunt prorſus expertes. Ipſa verò Daphne vtrum paternum ſequuta genus, inter fluuios numeranda eſt, an pater filiæ homo putandus? Verùm eſto, concedatur poëtis naſci Daphnen ex terra & Ladone. Nata ergo puella, apud vtrũ enutrita eſt? Vt demus enim naſci ita potuiſſe, vt educaretur fieri tamen non potuit. Vbi enim verſata eſt puella? Hercule apud eum qui genuit. ecquis ergo hominum vitam in fluuio ducit? Obliuiſcetur enim naturæ ſuæ pater, citiuſq; ſubmerget fluctibus quàm alet. Verùm ſub terra apud matrem habitauit. Latebat ergo, nulliusq; aſpectui in occulto poſita patebat. Cuius autem latebat decor, nullius animũ mouere deſiderio potuit. Vis & hoc aſſentiamur poëtis? Quomodo tandem amauit Deus, & impotenti affectu à natura ſua degenerauit? Amor enim omnium quæ humanas ſolicitant mentes, moleſtiſſimus eſt. Impium autem videtur, grauiſſima naturæ noſtræ diis quoq; attribuere. Nam ſi omni ex parte noſtris teneantur incommodis, qua in re mortalibus præſtabunt? Nihil autem malorũ eſſe quod non experiantur, certum erit, ſi amore (quod omnium peſſimum eſt) torqueantur. Sed neq; diuina natura hanc ægritudinem capit, neque credibile eſt Phœbum adamaſſe. Inſequens verò puellam Phœbus, quomodo ab ea victus eſt curſu, Deus ab homine? Viri enim mulieribus præſtãt, & deum fœmina ſupera-

Impoſſibili.

Indecoro.

Non cohærente.

uit? & quæ reliquis hominibus par eſſe non poteſt, ei deus ceſſiſſe credetur? Quamobrem autem fugientem puellam mater excepit? An quia malas nuptias putauit? Quomodo ergo ipſa facta eſt mater? An verò bonas credidit? Quur ergo bonum id filiæ inuidit? Aut ergo mater non fuit, aut malam fuiſſe matrẽ cõſtabit. Quid
utili. ita verò terra ſecum ſuis ipſa operibus diſſenſit? offenditq; Phœbum, filiam auferens: rurſumq; reddita, eiuſdem nominis arbore ipſum oblectans? Nõ debebat gratificari illi, ſi offendere ipſum volebat. Quare demum deus arbore illa tripodas coronauit? arbor enim deſiderii fuit merces, diuinatio verò virtutis eſt indiciũ. Quomodo ergo Deus coniunxit ea, quæ natura repugnant? Quid autem ita mortalis cauſa fuit, finis verò immor-
ilogo. talis? Sed finis ſit: neq; enim plura de poëtis dicam, ne ipſorum ineptiam longius inſectando, in eãdem quam in illis reprehendo vanitatem, videar incidiſſe.

### Confirmatio ſiue aſſeueratio. VI.

Cataſceue, hoc eſt confirmatio vel aſſeueratio, eſt propoſitæ rei comprobatio. Aſſeuerãda verò, quæ neq; prorſus manifeſta ſunt, neq; omnino fidem vt fieri poſſint, habent: ſed quæ medii quodammodo ſunt generis. Oportet autem aſſeuerantem cõtrariis vti eorum quibus deſtruentes vtuntur. Primùm enim laudet eum qui dixit quod aſſeuerãdum eſt, deinde rem exponat, poſtea contrariis eorum quæ diximus ſuprà, comprobet ipſam: pro obſcuro quidem manifeſto, pro incredibili probabili, & poſſibili pro impoſſibili, & cohærẽte pro repugnante, & decente pro indecoro, & conferente pro inutili.

inutili. Sanè hæc quoque exercitatio omnem vim artis intra ſe complexa eſt. Exemplum· Poëtas quiſquis vituperat, ipſas mihi vituperare Muſas videtur. Si enim quæcunque canunt poëtę, Muſis inſtincti profundunt, quid ni planè Muſis bellum indicit, qui poëtarum reprehendere conatur inuenta? Ego quidem quicquid poëtæ dicunt, maiorem in modum laudo: potiſſimum verò quod aiunt Daphnē à Phœbo eſſe amatam. Quid rogo tandem tam procul à fide abhorrens iſtud habet? Daphne, inquiunt, è terra nata eſt & Ladone. An hoc ergo tam prorſus incredibile? Nóne rebus omnibus aqua & terra ſunt origo? nonne ſemina rerum omnium elementa præbent? Si verò quicquid gignitur, procedit ex terra & aqua, nimirum Daphne eiſdem orta eſt, quibus omnia principiis, Ladone & terra, genita ſcilicet inde, vnde cuncta procreantur. Superabat autem Daphne facie reliquas omnes. Rectè quidem. Quęcunque enim ex terra ſe proferunt, primo velut natiuo proprioq; cōſpicua decore pulcherrima videntur. Multa enim imitatio decoris pulcherrimis quoque rebus tempore accedit: quæ verò nata primùm videnda ſe præbent, ea velu ti quæ nullum adhuc decoris ſui damnum fecere, blandiſſimè oculos noſtros morãtur. Rectè igitur Daphne forma præſtabat, primùm ex terra procreata. Phœbus igitur quum decore ſuperantem omnes videret, amore ipſius eſt captus: non iniuria. Quicquid enim in terris eſt, quo res vllæ ſunt conſpicuę atque admirandæ, id eſt omne à diis ipſis tributum. Si verò bonorum omnium amabilis in primis eſt pulchritudo, quid mirum ſi iucū-

Primū lau dat eos, q dixerunt quod aſſ uerandum eſt.

Deinde rem expo nit.

Poſtea probat m nifeſto.

Probabi li.

diſſimum deorum munus, deum quoque habuit amatorē? Quæ enim dii donant, ea deſiderant omnes. Conabatur autē amās deus deſiderio ſui mederi. ſic enim res habet: virtutes non ſine conatu maiore cōparantur, & labore opus eſt quiſquis eas aſſequi velit. Hinc ergo conabatur deſiderans, nec tamē deſiderās cōprehendit. Ingens enim eſt virtus, nec ad extremā ipſius metā quiſquam poteſt peruenire. Aiunt igitur amare Phœbū, nō terram ſcilicet, nec deorū maieſtatē vanis commētis dehoneſtantes, ſed virtutis oſtendētes naturā. Norat enim perſequens Phœbus id quod ſequebatur. Fugiente autem puella, mater ipſam excepit. Cuncta enim quæcunque ſunt mortalem ſortita naturā, qualis & ipſa fuerat Daphne, vnde orta ſunt, eodē reuertūtur: idcirco in terram cecidit Daphne, ex terra prognata. Accipiens autē puellam terra, pro ipſa reddidit arbuſtum. Vtraq; enim terræ ſunt opus, & in ipſam homines recondūtur, & ex ipſa arbores naſcuntur. Procreatum autem arbuſtum Apollinis honori dicatum eſt. dii enim extra complexum prouidentiæ ſuæ ne arbuſta quidem reliquerunt, ſed coronantur enatis, & primitiæ prodeuntium ē terris, ipſis ſacrantur. Sed & arbor diuinationis facta eſt merces. Conueniens & hoc puto. Puellare enim nomen continentiæ tribuitur: & dare reſponſa, ex continentia procedit. Quoniam enim voluptatum expers puella eſt, virtutibus conſecratur. Neq; enim poſſet capax futurorum eſſe, fœdis contaminatum voluptatibus pectus. Propter hæc ergo poētas ego admiror & laudo, ipſumque veneror carmen.

*Margin notes:* ...ſſibili. — ... — ...ohærē- — ...ecente. — ...onferē- — ...pilogo.

Locus

## Locus communis. VII.

Communis locus eſt oratio, bona aut mala quæ alicui inſunt, augmẽtans. Dictus autẽ eſt communis, quoniam communiter omnibus eis conuenit, quibus ea res de qua agitur, ineſt. Oratio enim in proditorem, omnibus in commune proditioni obnoxiis aptatur. Videtur autem velut ſecundæ orationi & concluſioni ſimilis: ideóque procœmium communis locus non habet. Fingimus autem aliquid procœmii ſimile, exercendorũ iuniorum cauſa: poſitoq́; eo ſubiicies primum caput ex contrario: hinc rei expoſitionem: non quidẽ tanquam doceas (nota enim res eſt) ſed vt exaſperes. Poſt hanc afferes comparationẽ, qua ex collatione id de quo agitur, in maius extollas. hinc ſententiam vel mentẽ, caput videlicet quod ita vocatur, exprobrans facti intẽtionem: deinde digreſſione coniecturali antecedentem vitam in criminum ſuſpicionem deuocabis: poſt id velut miſericordiæ occurrendum eſt: tum velut poſtremis exercitamenti huius locis, legitimo, iuſto, vtili, poſſibili, honeſto, euenturo concludendum. Exemplum.

Quemadmodum legibus conſtitutũ eſt, ipſaq́; apud nos iudicia cenſuerunt, pendat legibus pœnas is, cuius ſcelere nec leges fuerant amplius permanſuræ. Quòd ſi præſenti abſolutus iudicio, æquabiliorem populo ſeſe foret præbiturus, eſſet forte quòd quis illi remitteret pœnam. Quum verò elapſus in preſentia, ſit longè violentior futurus, iniuſtum certè fuerit futuræ tyrannidis initium præſenti delicto condonari. In reliquis autem fortaſſe non magnum iudicum periculum fuerit, ſi

Prius procœmium.

Procœmii poſterius.

quanuis nocentem impunitum patiantur elabi. Tyrannidis verò affectatæ, ſi abſoluatur, certum eſt ad iudices præcipuum pertinere diſcrimē, quos cum ipſis iudiciis

Ex contrario.

ſublatum iri conſtat potiente rerum tyranno. Videmini autem mihi iudices in eius ſolùm quod in præſentia eſt, contemplatione mentem habere defixam, virtutis ſeueritatiſq; maiorum noſtrorum obliti: quorum iuſtius erat reputare animoq; proponere ſententiam, qui nobis velut maximū incomparabileq; munus rempub. omni dominatione ſolutam reliquerunt. Optimè quidem illi atque rectiſſime. Quando enim fortuna ipſa varietate ſua inconſtantem ſe diuerſamq; hominibus præbet, proinde mentes quoque hominum ad rectè ſecusq; agendum multiplici flexu trahuntur. Hinc inæqualitati fortunæ, legum æqualitatem oppoſuerunt, inſtitueruntq; rempublicam, velut vnam ciuium omnium ſententiam facientes, vt fortunam nunc prementem res cuiuſque, nunc extollentem, legum conſtantia æquaret.

Expoſitio rei.

Cuius iſte aut immemor, aut contemptor potius, ſceleſtiſſimo ſecum conſilio inſtituit, vt rempublicam deleret: taliaq; ſecū diſſerebat: Quorſum hoc ergo per deos immortales? ſupra omnes poſitus, omnibus me patiar æquari? Fruſtraq; permitto cumulare opes mihi fortunam, ſi eadem quæ reliqui faciam, eadem feram: & collecti pauperes iudicant quod pauperibus videtur. Lex eſt, mihiq; præfertur. quouſque ergo hæc? aut quis erit his modus? Occupabo arcem, & peſſime perituras longè abigam leges, eroq; reliquis ego lex potius, quàm reliqui mihi. Hæc ſecum ipſe cogitabat, nondum verò

votorum

votorum ſuorũ finem aſſequutus eſt: obſtitit enim beneuolentia deorum. Quid ergo?non iniquiſſimum eſt, ſi propter ea quæ fruſtra conatus eſt, ſummam diis gratiam debemus,propter eadem hæc hunc hodie conſeruari? Sceleratus eſt homicida,ſceleratior tamen multo tyrannus.Ille enim vnum,quiſquis is fuerit,perimit,hic verò totas conuellit ciuitatis fortunas.Quãto ergo minus eſt parum offendere, quàm occidere omnes: tanto contrà eo qui hominem occidit, grauior eſt tyrannus. In aliis autem reis euenit plerunque,vt tametſi grauiſſima admiſerint, mentem eximant delicto, animoq; defendantur. Solus autem tyrannus fiduciam non habet vt inuitum ſe dicere queat tantũ ſcelus ſuſcepiſſe.Nanque ſi inuitus tyrannidem aggrederetur,eſſet fortaſſe ratio aliqua huius ipſum conatus abſoluere. Verùm quũ ante attentatam rem,multum ſecum diuq; deliberauerit, quomodo iuſtum cuiquam videbitur culpa carere ipſum,qui ante opera mente quoq; factus eſt tyrannus? Alii ergo quicunq; in ius vocantur,præſentis ſolùm criminis rationem repoſcuntur:& propter prioris vitę rectè facta,plerunque præſentibus ignoſcitur. Solus verò iſte vtriuſq; tẽporis iudiciũ ſubeat oportet. Liquet enĩ immoderata præterita tuliſſe ipſum,quibus ad tantũ flagitii peruenit.Et pręſentia certè pręteritis lõgè ſunt moleſtiora.Itaq; vtrorũq; det pœnas,& eorum quæ antè,& eorũ quæ præſenti ſceleris conatu deliquit. Libet autẽ videre, cuius preces præſenti ipſum diſcrimini ſint exẽpturæ.Liberi nempe? Verùm quum ſupplicãtes vobis, flenteſq; illos videbitis,putate aſſiſtere vobis leges, qua-

Comparatio.

Sententi vel mens exprobrãs facti intentionem.

Digreſſio coniecturalis.

Miſericordię occurſus.

rum vos reſpectu moueri multo rectius eſt, quàm liberorū ipſius. Illos enim ſperatæ dominationis fuerat relicturus hæredes, leges verò quòd iudicandi decernendiq; de ipſo poteſtatē habetis, præſtant. Itaq; per quas quòd iudices eſtis, vobis datur, pro eis iuſtius fuerit vos ſentētiam ferre. Si enim rectè leges iubēt eos qui patriam liberant, honoribus proſequendos eſſe, relinquitur neceſſariò, vt qui in ſeruitutem deducere ipſam conātur, puniatis. Iuſtum autem eſt, vt tantum vobis det pœnarū, quantum ipſe ſceleris admiſit. Proderitq; corruens tyrannus: ſtatum enim legum confirmabit. Expeditum autem, de ipſo ſumere ſupplicium. Neque enim quemadmodum ipſe ad aſſerendam tyrannidē ſatellitibus, ita vos ad depellendum ipſum auxiliis opus habetis, ſed ſufficiet iudices ſola veſtra ſententia, cuius quum à republica ius poteſtatemq; acceperitis, pulcherrimū quoque erit pro reipublicæ ſalute ipſam experiri: faciliq; cognitione totam hanc præſentem tyrannidis poteſtatem auferetis.

gitimū. tum. ile. oſſibile. oneſtū. enturū.

## Laus. VIII.

Laus eſt oratio, bona alicuius enumerans. Laudandę verò ſunt perſonæ, res, tēpora, loci, ratione carentia animalia, & plātæ. Perſonę, vt Thucydides aut Demoſthenes: res, vt iuſtitia aut temperātia: tempora, vt ver, æſtas: loci, vt portus, horti: bruta animalia, vt equus, bos: plantæ, vt vites, olea. Laudamus verò & communiter & ſingulatim: Communiter, vt omnes ſimul Atheniēſes: priuatim, vt Athenienſem vnum aliquem. Hæc verò diuiſio eſt laudis. Diſpones autem ipſam hoc pacto: primum

uiſio lis.

136

mum prooemiū pro qualitate rei pones. Inde ſubiicies genus,quod diuiditur in gentem, patriam , maiores & patres.Poſt id educationem explicabis, quæ inſtitutione,arte & legibus continetur.Hinc pręcipuum laudum omnium caput ſubdes,res geſtas,quas diuides in ea quę ſunt animi,& quæ corporis ſunt,& quæ fortunæ. Animi,vt quæ fortitudinis ſunt,quæ prudentiæ. Corporis, vt decorem,velocitatem,robur.Fortunæ,potentiam,amicos,opes.Addes deinde comparationē, qua id quod laudatur , alteri collatum tollatur in maius. Poſtremò epilogo qui precationi ſimilior ſit,concludes.

Exemplum, Thucydidis laus. Digni ſunt quos laudibus proſequamur, qui vtilia vitæ inuenerunt, atq; quorum induſtria pulcherrima rerum facta ſunt locupletiora:& inuēta honeſta illorum ingeniis accepta referri par eſt, qui ea in lucem protulerunt. Meritò ergo Thucydides oratione mihi celebrandus eſt, qui ipſi plurimum attulit ornamēti.Omnes enim de vlla humanarum rerum parte bene meritos æquū eſt venerari:Thucydidem verò eo magis, quòd pulcherrimo omniū illuſtrando curam ſuam impendit.Neque enim quicquā eloquentia pulchrius, neque Thucydide quēquam bene dicendi gloria præſtantiorem inuenire eſt. Nactus autem Thucydides eam eſt patriam,quæ & vitam pariter illi & eruditionem præberet. Neque enim alio in loco natus eſt,quàm vnde omnis benedicendi ratio profluxit: originemq; vitæ ſortitus Athenis , reges generis habuit ſui authores.Itaque ab vltima protinus origine, clariore maior fortuna eſt illuſtratus. Vtraque ergo ha- Prœmiū. Patria. Maiores.

bens,& generis amplitudinem,& ciuitatis ſtatum popu larem, quò clarior vtrinque fieret, eſt ab vtroque adiutus. Ne enim ad iniuſtas opes, potentiamq; dilaberetur, æqualitate legũ prohibitus eſt:néve in obſcura reliquæ plebis vilitate deliteſceret,felicitate generis eſt cóſequutus. Talibus igitur procreatus, in republica interq; leges educatur, quas certè optimas eſſe vitæ magiſtras in confeſſo eſt. Inter leges autem armaq; viuere inſtituens, eruditioni ſimul atque rei militari operam dare decreuit:neque ſtudia in armis deſerens, neque arma ,vt præcipuam prudentiæ partem,relinquens: vnóque conatu duarum diuerſarumq; artium curam habebat, coniungens ingenio pariter ea quæ natura ſunt ſeparata. Vt tandem ad virile peruenit robur, occaſionem quæſiuit proferendis eis quæ pulchrè fuerat in ætate meditatus. Nec defuit caſus,bellumq; protinus eſt ortum,ipſeq; res ab vniuerſa geſtas Græcia literis complexus, poſteritati mandauit,conſeruator eorũ & velut inſtaurator,quæ bellorum deleuit iniuria. Nec paſſus eſt quod quiſq; geſſit,temporũ ſitu aboleri. Ex ipſo ergo cognoſcitur captam eſſe Platæam, ſcitur Atticam eſſe vaſtatam, tenetur Athenienſium claſſibus Peloponneſi oras eſſe nauigatas. Certatum eſt nauali pugna apud Naupactum: non eſt nos Thucydides id paſſus latere. Leſbus ab Athenienſibus eſt capta,id quoq; ab ipſo indicatur. Cum Ambraciotis pugnatum eſt.hoc & ne diuturnitas aboleret,effecit. Iudicium Lacedæmoniorum non ignoratur. Sphacteria & Pylus ingentes Atheniẽſium labores non latent. Concionãtur Corcyræi Athenis, Corinthii ipſis

ipſis contradicunt. Aeginates accuſaturi, Lacedæmona proficiſcuntur. Iam verò à belli cōſilio Lacedæmonios Archidamus abſterrens, contrà Sthenelaides ad bellum ſuſcipiendum impellens. Ad hæc Pericles legationem Laconicam contemnens, neque paſſus deficere animo propter peſtilentiam Athenienſes. Cuncta hæc, Thucydidis opera ingenioq́; in omne æuum ab obliuione vindicantur. Quis autem Herodotum ipſi comparauerit? Comparatio. Ille enim ad voluptatem legentium ſcripſit, hic omnia ex rebus ipſis atque veritate deprompſit. Quanto verò quod ad alienam fit gratiam, infra id eſt, quod fit ad veritatem: tanto poſt ſe Thucydides Herodotū relinquit. Erant alia quoque permulta, quæ de Thucydide dicerentur, niſi quo minus omnia diceremus, laudum ſuarū nobis obſtaret multitudo. Epilog. Aliud exemplum. Sapiētiæ laus. Sapientiam adipiſci felicitatis eſt. Laudare Procemi. autem pro dignitate ipſam, maius eſt quàm vt noſtris id viribus aſſequi poſſimus. Tantum enim illi ſuperat gloriæ, vt commune quoddam deorum immortalium bonum eſſe credatur. Quum enim deorum vnuſquiſq́; velut deſcriptam officii ſui tueatur partē, Iuno nuptiis præſit, bellis Mars cum Pallade, Vulcanus inter ignes fabriles ſuas exerceat partes, ducat nauigantes Neptunus, & quiſque alius aliud ſibi vendicet, ſapientiam in commune ſibi aſſerunt omnes: præcipuè verò præ omnibus Iupiter, quanto reliquis maior eſt, tanto omnium quoque ſapientiſſimus exiſtimatur: vnaq́; ſapientia eſt, quæ Genus. vel maximè æternā Ioui præſtat poteſtatem. Et dii quidem natiuam ipſam cognatámque ſibi habent, munere

autem ipſorum in terras quoque delata eſt: & deorum filii, hominum ipſam generi intulerunt. Quamobrem meritò laude proſequendi mihi vidētur poëtæ,qui Palamedem Neſtoraq́;, & ſiquis alius ſapiēs olim fuiſſe canitur,deorum fuiſſe filios tradiderunt.Non quidem illi vano commento deorum naturam velut permutare conati,quam ne dii quidem ipſi permutare poſſent, ſed generis permixtione communicationem indicātes virtutis:vt qui diuina quadam cæteris admiratione prǽſtarent,deorum filii crederētur. Nec immeritò illorum in deos referebant genus,quorum ſapientia maior quàm humana, originem videbatur affirmare diuinam. Sola autem ipſa in vtroque rerũ ſtatu æquas habet vires. Nã reliquarum rerum alia bello ſolùm probantur,alia laudamus in pace.Sapiētia verò præcipua eſt vtriuſq; temporis moderatrix.Sic in bello verſatur, tanquam prorſus artium pacis ignara:ſic pacem continet, tanquã nũquam agitata ſtrepitu bellorũ. Denique tam aptè vtrique ſeſe accommodat,vt in vtro horum æſtimes, ei ſoli videatur eſſe dicata.Fert pacis tēporibus leges, & omni tranquillitatis vtitur more:in bello verò victoriam prǽbet.Neque armis ſolum ſuperiorem facit, ſed in cōcionibus quoque præſtat inuictum.Itaque & inter bellantes,& inter pacatos ſola præcellit,primáſque ſibi vendicat ſapiētia. Sola quoque diuinitatis proximè exprimit ſimilitudinem. Sola enim velut deus futura proſpicit. Quin ipſa quoque terram agricolis attribuit, nauigantibus aſſignauit mare: adeò non fruges colligere ſine ſapientia,non nauem niſi ſapientis gubernatoris præſidio

freti

138

freti aſcendere auderemus. Itaque quicquid exhibet mare, quicquid hominum vſibus terra profert, meritò ſapientiæ munus cuncta ceńſentur. Ne cœlum quidem, & ſi quid ſecretius in ipſo latet, dimiſit in occulto. quantũ Solis ſe porrigit ambitus, quod ſpatium ſtellarum vnaquæque circunſcribit, ipſa perueſtigauit. Deſpexit intra terras etiam: & quo pacto vita defuncti agemus, ipſa nobis aperuit. Troiam, quam capere temporis diuturnitas non potuit, ſapientiæ actus ſubegit: & omnem Perſarũ potentiam, vnius Cyri conſiliũ parauit. Cyclopis oculus erutus eſt prudenti Vlyſſis inuento. Sicq́; quicquid eſt quo quiſquam vincat, ab ipſa ſapiẽtia deriuat. Quis ergo ipſi fortitudinem comparaſſe velit, quũ quicquid viribus fieri poſſit, ipſa etiam ſapientia præſtet? Adeoq́; ſi ipſam fortitudini ademeris, per ſe fortitudo culpanda videatur. Erant & multa alia quæ de ſapientia dicerentur, niſi maiora eſſent quàm quæ poſſent modica oratione complecti.

Cõparatio.

Epilogus

## Vituperatio. IX.

Vituperatio eſt oratio quæ mala alicui inſunt complectens. Differt autem à loco communi vituperatio, quòd locus communis pœnas expoſcit, vituperatio verò ſolum habet velut nudum conuitium. Diuiditur autem in eadem capita in quæ laus, poſſuntq́; vituperari eadem omnia, quę & laudari: perſonæ, res, tempora, loci, bruta animalia, atque plantæ. Vituperamus verò & communiter & ſingulatim. Vbi verò procemium feceris, adiunges genus: quod diuides eadem qua in laude ratione: deinde educationem, & res geſtas, & compara-

Diuiſio vituperationis.

tionem & epilogum ita facies, quemadmodũ in laude.

[Pr]oœmii. Exemplum· Neque virtutẽ merita laude fruſtrari rectum eſt, neque itidem ſine reprehenſione dedecora relinqui: quoniam ſi nõ ita fiat, id quod præcipuum eſt amborum præmium, vtrique aufertur, laudandis quidem gloria rectè factorum, vituperandis verò ſcelerum turpitudo. Omnes autem male audire æquum eſt, qui malos ſeſe præbuerunt: tanto magis verò omnibus Philippum, quòd omnes improbos longè omni ſcelere

Genus. ſuperauit. Natus enim eſt ex ea gente, quæ peſſima eſt omnium barbarorum, & quæ non certis conſiſtere ſedibus potuerit propter ignauiam, ſed coacta ſit locum è loco permutans, variis erroribus iactari. Argiui enim primùm ipſos finibus exturbauerunt. hinc diu vagi, ad eam tandem quam nunc incolunt regionẽ perlati ſunt. Duplici itaque infelicitate implexi, & quòd melioribus coacti ſunt cedere, & quòd in imbecilliores violẽti iniuſtiq; fuerunt, nunquam tutò habitare, aut vacui metu

Patria. agere potuerunt. Hac ex gẽte natus, viliore adhuc pro modo ortus eſt vrbe. Vt enim vltimi barbarorum ſunt Macedones, ita Pella Macedoniæ vrbs eſt poſtrema. Ex qua ne quum mancipia quidẽ acceperint, homines tan

[M]aiores. ti putant. Hac ergo progenitus patria, maiores habuit patria ipſa longè magis pudẽdos. Philippus enim inter maiores ipſius fuit, propter generis dedecus, quo minus rerũ potiretur, prohibitus. Hinc Amyntas pater ipſius, vt regnaret, alienis opibus fuit fulciendus. expulſum enim Athenienſes reduxerunt. Tali igitur ortus patria, tales ſortitus generis autores, apud Thebanos moratus

primùm

primùm obſes fuit. Nec quãuis media in Græcia verſaretur, mores conuictu mutans ad meliora deflexit, ſed barbaricam ſemper impotẽtiam inter Græcam retinuit inſtitutionem. Quumq; ſit omne humanum genus in Græcos atque barbaros diuiſum, ipſe velut ex vtriſque commixtus, ſimilem improbitatem in diſſimilibus gentibus exercebat. Orſus ergo primùm à cognata gente, ipſam ſubegit, velut à perfidia rerum ſuarũ initia auſpicatus. Inde & finitimos aggreſſus populos, perdomuit; captisq; deinde Pæonibus, Illyricos eſt adeptus. Triballorum quoque gentem inuadens, & quicquid præterea in proximo erat terrarum, omnia vno velut impetu deuicit. Et corpora quidem barbarorum pugnãdo cepit, mentes autem cum corporibus nequiuit capere: verum defectionem meditabantur, quãuis armorum metu ſeruirent: erãtq; liberi animo, licet præſenti terrore premerẽtur. Subactis ergo finitimis barbaris, cõtinua via Græcos inuaſit. Primumq; ad Thraciam poſitas vrbes occupauit, cepitq; Amphipolim, Pydnam ſubegit, iſtisq; Potidæam adiunxit, neque Pheras extra Pagaſeos, neq; Magneſſam extra Pheras ducens. Sed cunctę Theſſalorum capiebantur vrbes, & velut generis mercedem ſeruitutẽ ferebant. Dignũ ſanè fuerit, exitum quoque ipſius recenſere. Poſtea enim quàm pleraq; quæ inuaſit, oppreſſerat, ſubieceratq; contra fœdera eos qui fuerant fœderibus deuincti, offenſi violatis fœderum ſacris dii, conuenientem perfidiæ ſuæ finem dederunt. Neque enim pugnantem, atque in acie, vt teſtes mortis ſuæ ſpectatoreſque viros fortes haberet, ipſum occumbere voluerunt:

Educatio

Res geſtæ

D

ſed in mediis obruerunt voluptatibus, conueniens Philippi ſceleribus funus exhibentes ipſas voluptates, quò documentū intemperantiæ illius viuo morientiq; præberent. Quis autem eſt qui Echetū illi putet poſſe cōferri? Echetus enim præciſis extremis aliquibus corporis membris, reliquū ſaltem corpus relinquebat: at Philippus totos cum corporibus ipſis homines perimebat. Quātoq; ſæuius eſt totum deleri hominem, quàm partem aliquam auferri, tantò pernicioſior eſt Echeto Philippus. Deſinere autem à ſceleribus ſuis Philippus neſciebat, quum mihi victo magnitudine ſcelerum illius, neceſſe ſit vt deſinam plura de ipſis facere verba.

Cōparatio.

Epilogus

## Comparatio. X.

Comparatio eſt oratio ex collatione aliquid diſquirens, quo id quod comparatur, in maius extollat. Comparantur autem vel bona bonis, vel bona malis, vel mala malis, vel magna paruis, vel parua maioribus. Prorſuſq; comparatio duplicem habet vel laudem, vel vituperationem, vel alterutrum ex laude vituperationeq; cōpoſitum. Eſt itaque totus hic comparationis locus acer in primis, maximè verò parua maioribus conferens. Cōparari verò eadem omnia poſſunt, quę laudari poſſunt, quæq; vituperari: perſonæ, res, tempora, loci, pecora, atq; plantæ. Non oportet autem comparantem totas res totis conferre (ſupinum enim eſt, & nequaquam pugnax) ſed capiti caput conferendum, quum diuidere totas, laudis ſit mos, non comparationis. Comparatio autem in hoc non eſt poſita, quandò totum hoc præexercitamentum comparatio vocatur. Exemplum. Volenti mihi

hi virtutem conferre virtuti, cum Achille haud immerito componẽdus fuerit Hector. Sunt quidem ipſæ ſe virtutes nimirum abunde honeſtæ, comparatæ tamen admirabiliores videntur. Patria ergo nati ſunt non eadem, laudata tamen vterque. Ille enim in Phthia, vnde Græciæ ipſius primum prodiit cognomentum: hic verò Troiæ, cuius habitatores deorum quoque primi fuerunt. Quòd ſi pari natum eſſe loco, affert aliquid ad laudem, nihil quidem hac in parte Achilli poſthabẽdus eſt Hector. Nati autem vterque præclara patria, parẽ quoque generis habuerunt dignitatem. Vterque enim ad Iouem originẽ ſuã initiumq; generis ſui refert. Pelei enim filius Achilles fuit, Aeaci verò Peleus, & Aeacus Iouis. Sic quoq; Hector Priami, Priamus autem Laomedontis, & Dardani Laomedon filius, Dardanus quoque Ioue prognatus eſt. Progenitore autem Ioue nati vterq;, reliquam quoque maiorum ſeriem habuerunt claritudine æqualem. Vt enim Achilles Aeacum habuit & Pelea, quorum ille Græciam liberauit peſtilentia, hic Lapithis deuictis, ob egregiam virtutem deæ coniugium eſt aſſecutus: ſic Hectoris Dardanus progenitor fuit, deorum primùm dignus habitus conuictu: pater autẽ Priamus imperauit vrbi cuius muros ipſi quoque dii fundarunt. Quòd ſi non minus eſt quàm deæ ſortitum eſſe coniugia, deorum, idq; optimorum menſa conuiuioq; vſum eſſe, nihil eſt quod quiſquam maiorum gloria Hectori præferat Achillem. Talibus autem vterque maioribus procreati, ambo ad fortitudinis ſeſe ſtudia contulere: & ille quidem à Chirone educatus eſt, huic

Procemi[um] · Genus · Educatio.

Priamus ipſe præceptor velut naturæ quadam via, virtu
monumenta tradebat. Par itaque ſimiliſq; educatio, parem vtrique cōciliat laudem. Vt autem ad virile peruenere robur, eodem in bello par vterque animi virtutiſq; ſpecimē præbuerūt. Hector enim Troianos ducebat, ſoluſq; velut obex propugnaculūq; ciuitati datus, tuebatur ipſam: ſtetitq; quàm diu fauentibus diis & auxiliaribus eſt vſus. Cadens deinde, ipſam quoque Troiam poſt ſe traxit atque euertit. Achilles verò Græcorū præerat armis, terroreq; omnes vincebat Troianos, Palladis fultus numine atque auxilio: occumbenſq;, ſpem victoriæ in reliquum abſtulit Græcis. & ille quidem victus à Pallade interiit, hic autē cecidit ab Apolline confixus: natiq; ambo ex diis, ambo quoque deos habuere mortis autores: vtq; diuinitus generis inicia, ita vitæ etiā exitum accepere. Quòd ſi ſimilis vtrique vita fuit, ſimiliſq; mors vtrunque abſtulit, quid eſt quo non Hector

ilogus. par ſit, quoq; cedere debeat Achilli? Plura erant quæ dicerē de vtriuſque virtute, niſi quēadmodū in his quæ dixi, ita in reliquis per omnia ipſorū gloria eſſet æqualis.

Ethopœia. XI.

Ethopœia, id eſt (vt ita dicamus) imitatio, eſt expreſſio morū perſonæ propoſitæ. Sunt autē tres ipſius ſpecies: idolopœia, id eſt cōformatio: proſopopœia, id eſt effictio: & eo quo diximus nomine ethopœia, id eſt ſermocinatio. Eſt autem ethopœia, quæ notā habens perſonam, mores ſolùm effingit, vnde & ethopœia vocatur: vt qualia faceret verba Hercules Euryſtheo ſibi imperante. hic notus quidem eſt Hercules, dicentis verò

opœia. 

effingimus

effingimus mores. Idolopœia eſt, quæ perſonam habet notam, ſed defunctam, & loqui non potentem, quemadmodum ἐν δήμοις Eupolis finxit, Ariſtides in oratione ὑπὲρ τῶν τεττάρων. Vnde & idolopœia vocatur. Proſopopœia eſt, quando finguntur omnia, & mores, & perſonæ, quemadmodum Menander fecit Argumentum. Argumentū enim nec rem nec perſonā habet propoſitam, vnde proſopopœia eſt dicta. fingitur enim ipſa cū moribus perſona. Diuiditur autem ethopœia: nanque alia affectum exprimit, alia mores, alia vtrunque. Ad affectum pertinet, quæ prorſus animi ſignificat motum: vt qualia verba Hecuba faceret Troia ſubuerſa. Moralis eſt, quæ ſolos exprimit mores: vt quid diceret mediterraneus primùm conſpicatus mare. Mixta eſt, quæ mores habet pariter & affectum: vt qualia loqueretur Achilles ſuper occiſo Patroclo de bello deliberās. Mores enim conſiliū habet, affectum verò amicus occiſus. Tractabis ethopœiam genere dicendi aperto, breui, florido, diſiuncto, omni flexu atque figura remota: proq; capitibus diuides tribus ipſam tēporibus, præſenti, præterito, & futuro. Exemplum· Me miſeram, quam aliam præ alia deflebo calamitatem, orbata nunc liberis, quibus antea fuerā inſignis? Quæ copia infelici mihi, ad quam redacta eſt inopiam? Non ſum iam miſera vnius filii mater, quæ antea tam multis conſpicua incedebam. At quanto ſatius foret ſterilem fuiſſe potius, q̃ in lachrymas atque luctus fœcundam! Longè enim infeliciori ſunt loco hæ quæ orbitatem ſuam deflent, eis quæ nunquam pepererunt. Hoc enim quod experimē-

Idolopœia.

Proſopopœia.

Diuiſiones ethopœiæ.

Niobes querela.

Præſens.

tum amoris filiorum ſumpſerũt, deſtitutis poſtea acerbiſſimum eſt. Sed infelicẽ me, quæ parem ei qui me genuit, ſum experta fortunam. Orta enim ex Tãtalo, qui conuictu deorum felix, tandem ab ea eſt deorum amicitia euolutus, húius quoque cladibus meis approbo me eſſe genus. Coniuncta enim ſum Latonæ, perq; hãc ipſam nũc his opprimor malis, & ipſius familiaritatem filiorum orbitate deploro. Hicq; mihi finis eſt cum dea coniunctus, vt in calamitatibus degam. Prius nanque q̃ ipſi ſum cognita Latonæ, felicior ipſa fui mater: vt autẽ ſum illi notior facta, deſolata ſum liberis: quorum antea quàm me noſſet ipſa, inſigni fui multitudine beata. Iacet ille ſexus vtriuſque lætus filiorum numerus, inopemq; me lachrymarum felicitas effecit. Quò me vertã infelix? ad quæ deflectar? quod mihi ad tot defunctos liberos ſufficiet ſepulchrum? Miſeram me, in tantis malis meis ipſe quoque me deſerit calamitatum mearum honor. Sed quid iſta queror? certum eſt mihi deos orare, vt in aliam vertant me naturam. Vnum miſeriarum mearum video remedium, vt in aliquid quod ſenſus vitæq; ſit expers, formã commuter. Sed vereor miſera, ne & ſic quoq;, quáuis mutata, inter lachrymas agere nõ ceſſem.

Deſcriptio. XII.

Deſcriptio eſt oratio, narratione id quod propoſitũ eſt, diligenter velut oculis ſubiiciens. Deſcribuntur autem perſonæ, res, tempora, loci, bruta animalia, & plantæ. Perſonæ, vt Homerus in Odyſſea ad Eurybaten,

Latus erat humeris, ore ater, crineq; criſpus.

Res, vt nauales pedeſtreſq; pugnæ, quemadmodum hiſtorici.

ſtorici. Tempora, vt ver aut æſtas, differẽdo quàm multi in his ſe proferant flores. Loci, vt Thucydides portũ Theſprotarum χειμέριον dixit, id eſt hyemalem, velut figura. Deſcribentes verò perſonas, à ſummis ad ima vſq; ire oportebit, id eſt à capite ad pedes. Res verò ab antecedentibus, & eis quæ inſunt ipſis, quæq; ex ipſis ſolent prouenire. Tempora verò & loca ex eis quæ ipſis continentur. Deſcriptionũ autem aliæ ſunt ſimplices, cõpoſitæ aliæ. Simplices, vt quæ pedeſtres vel nauales explicant pugnas. Compoſitæ, vt quæ res pariter temporaq; coniungunt, veluti Thucydides, qui nocturnam in Sicilia pugnam deſcribit. Simul enim & pugnam quomodo facta ſit, & nocte quomodo gerebatur, comprehendit. Oportet autem deſcribentem dicendi figura vti tenui, & multiplicibus orationem variare ſchematibus, prorſúſque res imitari quas deſcribit. Exemplum·

Diuiſio deſcriptionũ.

Arces vrbibus in publicum ſunt præſidium conſtitutæ. Sunt enim velut hoſtium arctices, firmanturq; nõ magis ipſæ vrbibus, quàm ipſas vrbes tuentur. Atheniẽſium autem arcem media Athenarum complectitur regio. Ea verò arx, quam vrbi ſuæ poſuit Alexander, ob quam cauſam nomen habet arcis, ob id ipſum quoque vrbi additam eſſe, obuium eſt videre. Quòd enim ſupra vrbem poſita, ex ſummo tuetur ipſam, rectius hoc ſibi conueniet nomen, quàm ea qua gloriantur Athenienſes. Hanc autem ſicuti ſe habet, ita oratione quoq; proſequemur. Cliuus quidam medio è ſolo extollitur, ingenti in ſublime ſpatio ſe proferens. hunc arcem vocãt propter vtraque hæc, & quòd hoſtes arceat, & quòd ſit

Deſcriptio arcis Alexandriæ.

in vrbis arce,id eſt ſummo,locata: Viæ ad ipſam ducũt duæ,ſed diſſimiles. Hac enim via eſt, illa verò patet ingreſſus: mutatiſq; proinde nominibus, id ipſum quod ſunt,vocantur. Hac nanque parte pedibus quanuis paratus & expeditus acceſſus eſt,capaxq; curruum via. Illi verò quæ curribus inuia eſt,additæ ſunt ſcalæ, graduſq; ſupra gradum ex inferiori in ſublime deducens: neque prius quàm centenarium expleuerint numerum, deſinentes:idemq; numeri eſt viæq; finis. Veſtibulũ dehinc gradus excipit clauſtris mediocribus obfirmatum, quatuorq; ſublimes & maximæ columnæ, quæ vias omnes ad vnum deducunt ingreſſum. Columnis his alias minores,pluresq; columnas domus obtendit, quæ colore vario conſpicuæ,eximium præbet loco ornatum. Tectum autem diætæ in circulum circumactum, ingentē multiplicemq; imaginem complectitur rerum. Introeunti autē arcem locus offertur quatuor eiſdēq; æquis lateribus diuiſus:proinde quoq; tota ædificii figura efficitur quadrata. Aula in medio eſt colũnis incluſa: eam porticus excipiunt,& eæ quoque æqualibus diuiſæ columnis,ita in medio diſpoſitis, vt neutrā in partem ſint nihil quicquam deflexæ. Vnaquæque autem porticus ad obliquam alteram finitur, & duplex eſt columna ad vtrāque porticum diuiſa,vt illa quidem deſinat,hac verò rurſum incipiat. Addita autē porticibus introrſum armaria,quibus libri recondũtur:eaq; ſemper, ſi cui vacet aut libeat legere aliquid, patent,totamq; velut vrbē ad philoſophię cultum adhortātur. Alia item loca ſunt ad venerationem deorũ vetuſtorum inſtituta. Tectum

porticuum

porticuum auro diſtinctum, vertices columnarum ære fabricati, auróque supernè incluſi. Neq; verò aulæ ſimplex ornatus eſt, verùm alius atque alius: quorum hic quidem Perſei cõtinet certamina, ille autem aliud. Media autem arce columna immẽſa altitudine ſe profert, quæ locum ipſum facit illuſtrem. Haud enim in promptu quis quò progrediatur, habet, niſi indicem viarum hanc ſubinde reſpectet columnam. Quin & arcẽ ipſam terra maríque conſpicuam præſtat. In vertice columnæ principia rerum, primâque elemẽta ſunt expreſſa. Prius autem quàm media tranſeatur, ædificium eſt quoddam pluribus oſtiis patens, quorum cuique à deorum vetuſtorum aliquo eſt inditum nomen: duæ dehinc pyramides lapideæ poſitæ, & fons profluens, Piſiſtratarum fonte haud paulo melior. Mirandum etiam id quoque ſpectaculum, eò quòd eorum qui fabricati ſunt arcem, velut vno tanto operi non ſufficiente, numerum nominâque comprehendit, duodecimq; pariter in ipſo arcis faſtigio conſpiciuntur artifices. Deſcendẽti autem ab arce mollis offertur locus, ſtadio adſimilis: idq; ipſum loci eſt nomen. alia item parte alius quoque ad ſimilia accommodus, non tamen ad planum ferens. Et ornatus ſanè arcis pulchritudoq; maior eſt, quàm vt paucis narrari poſſit. Quòd ſi quid prætermiſimus, admiratione rerum in ſe rapientium animum, eſt effectum. Sed & quæ pro magnitudine explicari non poterant, ea relinquere ſatius eſt viſum.

## Theſis. XIII.

Theſis, id eſt conſultatio, eſt rei alicuius inueſtigan-

dæ per orationem diſquiſitio. Conſultationum autem
uiſio cō-
tationū.
aliæ ciuiles ſunt, aliæ contemplatiuæ. Ciuiles ſunt, quæ actionem habent ciuitati accommodatā, velut, An ducenda vxor ſit, an nauigandum, an muri faciendi. His enim omnibus ciuitatis ſtatus continetur. Contemplatiuæ verò, quæ ad ſolam animi conſiderationem pertinent, videlicet: An globoſum cœlū, an multi ſint mundi. Hæc enim in vſum hominibus non veniūt, ſed mente ſola peruidentur. Differt autem conſultatio ab hypotheſi, id eſt cauſa, quòd cauſa definita eſt, conſultatio verò indefinita. Definitio autem fit perſona, re, cauſa, & reliquis, vt, Muri ſint'ne faciendi, perquiſitio eſt ſine
efinitio.
perſona. Quòd autem inuadentibus Perſis Lacedæmonii conſultāt muro Spartam circundare, cauſa eſt. Perſonam enim habet, Lacedæmonios deliberantes: rem, murum Spartæ addere: cauſam verò, inuadentes Perſas. Prima autem omnium præexercitamentorum conſultatio contradictionem & ſolutionem velut quæſtio ca-
uiſio the
is.
pit. Diuiditur theſis primùm eo quod vocamus aggreſſum, quem procemii loco pones: hinc finalibus vtêris capitibus, legitimo, iuſto, vtili, & poſſibili. Exemplum.

ggreſſus
e procœ-
j.
Si quiſquam omnia pariter laudare volet, is mihi matrimoniū laudet. Demiſſum enim ex cœlo eſt, ipſumque rurſus cœlū deis impleuit, eóſque procreauit, quorum munere paternum hominibus tribuitur nomen: eiſdémque quos progenuit, dedit rerum naturam tuendam. In terras autem acceptū, reliquis omnibus originem dedit: quæq; ſingula natura ſua fluxa caducáque erant, ea ſtabiliuit poſteritate, æternitatémque ipſis ſucceſſione

ceſſione adinuenit. Primum autem maximè ad fortitudinem ſubeundáque conſtanter pericula homines impellit. Quoniam enim vxores liberóſque defendit, pro quibus ſuſcipiuntur bella, certũ eſt eo quo ad ſumenda arma hortatur, eo quoque vt erecti bellorum euentus ſubeamus, hortari. Quin iuſtos etiã, nedũ fortes homines efficit. Cognationũ enim neceſſitudines iuraq; tribuit, quorum reſpectu metúque ab inferẽda iniuria homines coërcet: itáque iuſtitiam ſimul docet cum fortitudine. Sed & ſapiẽtes facit, quippe quibus chariſſimorum pignorum iniicit prouidentiã atque curam: quódque maximè quis miretur, ipſam temperantiam ſecum affert matrimonium, & in mediis voluptatibus modeſtiæ quoque inuenit locum. Legem enim libidinibus præſcribens, temperãtiæ ſine voluptates coërcet: quæq; ipſa per ſe accuſatur voluptas, eam matrimonio cõiunctam laudamus. Si ergo matrimonium deos dedit, & procreando poſteritatem omnem firmat, ſi fortes item iuſtosq; facit, & ſapientes præſtat & temperãtes, quis eſt qui non pro virili quatenus poſſit, ipſum ſibi putabit eſſe laudandum? Sanè, inquit, ſed calamitatum multarũ matrimonium eſt cauſa. Fortunã mihi videris, non matrimoniũ accuſare. Quę enim aduerſa hominibus accidunt, eorum fortuna eſt cauſa, non matrimonium. At contrà quæ læta matrimonium tribuit, ea certè nequaquam fortunæ accepta poſſunt referri. Rectius ergo eſt matrimonii bona laudare, quàm accuſare mala quæ ex ipſa afferũtur fortuna. Iam verò ſi quis maximè humanorum caſuũ aduerſa volet matrimonio aſſignare, ni-

Contradictio.
Solutio.

hilo tamen idcirco magis fugiendum erit. Num ſiqua reliquis in rebus nos offendunt,ea cõtinuò nos ab ipſarum cura deterrebũt? Agedum ſingulas excutiamus artes:omnes habent aliquid quod quis accuſet. Agricolæ procellis infeſtantur,grandine excutiuntur: non tamen ſi quos tempeſtas offendit,ideo ſtatim agros relinquũt, ſed perſeuerãt colere. Neque nautæ ſi quid ex cœlo accidit ipſis,continuò poſt tempeſtatem diſſoluũt naues, ceſſántq; nauigare deinceps metu eorum quæ pertulerunt: verùm difficultates fortunæ tribuentes, ad opes quas mari parauerũt,reuertuntur. Bella etiam pugnæq; militantium abſumunt vitam:non tamen quia occumbũt aliqui,idcirco deſerunt militiam:ſed quia pugnantes ob fortitudinem laudãtur, hoc ipſo etiam quòd ceciderunt,gaudent,& inſtantem fortunæ aſperitatẽ præſentis gloriæ bono rependũt. Neque enim propter mala,meliora fugienda ſunt,ſed bonorum cauſa & aſperrima perferenda. Nónne ergo abſurdum eſt, agricolas, nautas item & milites difficultates meliorum gratia tolerare, matrimonium verò nobis auerſandum putare,

ntradi- o. uio.

quia habeat aliquid quod offendat? Sane,inquit, ſed viduitatem mulieribus, puerisq; orbitatem affert. Mortis hæc mala ſunt,hancq; nobis difficultatem circundedit natura, quam tu quidem accuſare mihi videris quòd non homines effecit vt dii eſſent: accuſareq; matrimonium quòd non diis mortales coniunxit. Quid inſimulas matrimonium eorum quorum eſt apud mortẽ cauſa? Quur nuptiarum dicis,quod ipſius eſt naturæ? Patere perire eum qui natus eſt, quocunque tandem pereat modo.

modo. Quid ſi óccidunt homines quia nati ſunt, eadéq; via coniugem viduam relinquunt, natóſque ex ſe filios faciunt pupillos? Quid hæc matrimonii dices culpa fieri, quæ ſolùm ab ipſa fiunt natura? At ego econtrario orbitatem viduitatémque puto matrimonio reſarciri. Mortuus eſt illi pater, eoq; nomine pupillus eſt: reddit rurſus alium illi matrimonium patrem. Itaque hoc malum non ex matrimonio prodit, ſed matrimonio occultatur, fitq; matrimoniũ non cauſa orbitatis, ſed abſcondit potius ipſam, & reſtaurat. Sic viduitatem quoque quam obitu mariti attulit natura, matrimonium nouis iterum nuptiis immutat. Quam enim mors reliquit viduam, hanc rurſus matrimonium viro coniungit: atq; velut conſeruator muneris ſui, ea quę dedit initio, ablata quoque reſtituit. Auferre ergo viduitatem ſolet matrimonium, non facere. Pater quoque morte liberis orbatur, rurſúmque alios matrimonio aſſequitur: fitq; ſecũdo matrimonii munere pater, cui id quod ſemel iam habuerat paternum nomen, erat ablatum. Quid ergo matrimonii bona in crimen ipſius conuertis? Videris mihi non arguere, ſed laudare nuptias velle. Quando enim enumerare nuptiarum bona cogis, laudator matrimonii factus es potius quàm reprehenſor: vituperanſq; matrimonium, vt recenſeamus laudes ipſius adducis, cauſamq; præbes munera ſua recognoſcendi nobis, eo ipſo quòd crimina tua refutamus. Eſto, inquit, ſed laborioſa tamen res eſt matrimonium. Verum, ſed labores quoque matrimonium ſoluit, & auferũtur per nuptias, quæcunque exercitos homines reddunt. Faci- Contradictio. Solutio.

lis quidem res eſt cum muliere ſociari: quantulum autem virum in thalamo vxori coniungi? Iam quàm in promptu ſperatur puer, ſperatuſq; ſe profert, & in lucẽ prodiens, mox patrem appellat? Addicitur deinde arti alicui diſcendæ, patriſq; fit laborum particeps. In concionibus exinde verſatur, paſcitq; in ſenecta patrem: & prorſus in quodcunque res ipſa popoſcerit, aptum ſe
pilogus. expeditumq; præbet. Adeò non eſt oratione recenſere quanta matrimonium afferat bona. Ingens ergo res eſt matrimonium, & deos procreãs, & mortalibus vt dii eſſe videantur, ſucceſſione præſtans. Docetq; operatos ſibi fortia atque iuſta, ſimulq; prudentiam & temperantiam: quin & reprehenſas alioqui voluptates honeſtas facit. Idcirco plurimi faciẽdum eſſe matrimonium inter omnia facilè conſtat.

## Legiſlatio. XIIII.

Legis quoque inductionem quidam exercitamentũ eſſe putauerunt. Eſt enim propemodum tota cauſa, nõ tamen omnia quæ in cauſa ſunt, intra ſe continens. Affert perſonam quidem, ſed incertam, & non omnibus notam. Vnde & in conſultationis magis eſt parte, quàm cauſæ. Quatenus enim figuram in ſe habet perſonæ, ſuperat conſultationem: quia tamẽ prorſus definitionem
Diuiſio gis. non habet, idcirco citra cauſam ſubſiſtit. Eſt autem duplex legis inductio, confirmatio poſitæ legis, atque confutatio. Lex autem eſt inuentum deorum, communis conſtitutio ciuitatis, correctio vtrinque erratorum. Diuiſio autem inducendæ legis eſt iſta. Tractabis eam capitibus

146

pitibus eiſdem, quibus negòcialẽ: legitimo, iuſto, vtili, poſſibili. Procemium facies, póſtque procemium ſubiicies contrarium: hinc capitibus prædictis vtêris. Vnde & hoc exercitamentum à cauſa differt. Exemplum· Nec mihi videtur per omnia lex iſta laudanda: nec rurſus ea quæ ſcripta, prorſus reprehendenda crediderim. Quòd enim pœnam adulteris decernit, laudo planè: quòd verò iudicum ſentẽtiam non expectat, culpandum certè videtur. Si nãque largitionis metu, ne qua iudices corrũpantur, iudicia præuenit, ſuſpicax nimirum eſt, & iniquæ nimium erga iudices mẽtis. ſi verò iuſta iudicare vos, quemadmodum facitis certè, arbitratur, iniquum eſſe conſtat, ſi lex iudices quidem laudet, tollat autem iudicandi poteſtatem. Aliæ ſanè leges, quæcunque demum eæ ſunt, & quacunque ratione perlatæ, diſcrepant forte ab alienæ ciuitatis legibus, ſed & alterius rurſus legibus conueniunt. Hæc autem ſola lex omnibus ſimul repugnat ciuitatũ inſtitutis. Videmini autem mihi multo rectius de hac lege cogniturі, ſi omnia recenſeatis conſulta veſtra atque decreta. Duces bellorum, ſacerdotia, plebiſcita, omniáque adeò quæ ad rem militarem pertinent, iudicum ſubeũt diligentiam. Fitq́; dux ille, quem iudex conſtituit: ſacrificat, qui iudici videtur: iuſtumq́; decretum eſt, quod populi ſentẽtia perrogatum eſt. Victores quoque præmia non accipiũt bellorum, niſi iudicata. Quomodo ergo nõ abſurdum eſt, omnia iudiciorum arbitrium expectare, ſolam verò præſentem legem iudicum ſubterfugere cognitionem? [illegible] ſed magna ſunt mœchorum iniurie. Quid

Procœmiũ.

Accuſatio legis iubẽtis adulterũ ĩ ipſo adulterio interfici.

Contrariũ

ontradi- io. autem? ſicariorum an non longè grauius ſcelus? quid
ɔlutio. proditores ſicariis? quid item ſacrilegos proditoribus? an minus videlicet credemus nocentes? Attamen quanuis deprehenſus, iudicum ſententiam experitur: neque proditor pœnas dat, niſi decernēte iudice: Neque perimitur ſicarius, niſi eo qui accuſat, coarguente delictum: Neque qui numinibus dicata præripuerunt, puniuntur antè quàm iudex admiſſum cognouerit ſcelus. Nonne ergo iniquum eſt, maiora iudicum vindictæ reſeruari, neque quicquā eorum criminis loco, niſi iudici liqueat, æſtimari: ſolum autem adulterum perire ſine diſquiſitione, de quo maximè omnium cognoſci oportebat, quanto rarius id cōtingere videmus?

Contradictio. Et quid refert, inquit, occidam adulterum, an iudicibus tradam, ſi vtraq; via morte pœnas luet?

Solutio. Hoc intereſt ſcilicet, quod inter tyrannum atque leges, quodq; inter rempublicā & regnum. Tyranni enim eſt promiſcuè quęcunque libitū fuerit occidere, legum verò non niſi eum qui antè ſit iudicio conuictus. Hocq; vel hinc maxime liquet, quòd quæcunque populus antè concionibus perquiſierit, de iis poſtea iudicio cognoſcitur. At leges ea quæ incerta ſunt, puniunt tanquam deprehenſa. Populus item diſceptatione omnia atq; contentione diſponit, quò ſint explicatiora omnia. Contrà verò ſolus eſt pro omnibus, qui imperare & tyrānidem gerere decreuit. Quid ergo? multum'ne intererit occidere adulterū, & iudicum ſententiis puniendum tradere? Ad hæc quoque, qui per ſe adulterum occidit, ſeipſum arbitrum pœnæ admiſſi ſceleris facit: qui verò iudicibus tradit ipſum, penes illos

vult

vult eſſe poteſtatem iusq; animaduertendi. Neminem autem dubitare crediderim, quin æquius ſit, eius qui accuſatur, arbitrium eſſe apud iudicem, quàm apud accuſatorem. Quinetiam qui ſuo arbitratu adulterum occidit, alterius rei gratia occidere ipſum, aduerſum ſe ſuſpicioné relinquit. At qui iudicio exhibet, ſolùm iuſta ſectari, præſentiſq; ſceleris dolorem videbitur vlciſci. Eſt, inquit, ſed grauiores dabit pœnas ſubitò perẽptus: alioqui enim medium ad iudicium vſque vitæ lucrabitur tempus. At contrà porrò habebit ſi iudicetur. Acerbiſſimè enim iudicio deſtinatus deget. Ipſa enim expectatio mali, malo ferè eſt magis acerba. Supplicium deinde repetitio pœnæ cumulúſque videbitur: morieturq; ſæpe, qui iam pro mortuo habitus eſt, expectationémque habebit exitu duriorem. Occiſus autem de improuiſo adulter, non dolet, ſenſumq; mortis, pœnæ celeritas aufert. Inſenſibilis enim exitus, qui antè quàm expectetur cõtingit: diu verò expectatus, vt ſemel ſolum fiat, exaggerat tamen metus diuturnitate tormenta. Age verò, ſi libet, conſidera hæc, conferq; inuicem. Ille per ſe ipſum occidit adulterum, nullúmque facit vltionis ſuæ teſté: alius iudicibus tradit, multóſque adhibet ſupplicio ſpectatores. Acerbior haud dubiè vltioni modus, quicunque oculis eſt plurium ſubiectus. Et optabilius alioqui adulteris, vtcunque fuerit, occultè perire, opinionem a- Contradictio. Solutio.

ontradi- exploratámque iudicum cognitionem. At grauis eſt
io. adulter, omniumq; ſcelerum magnitudinem ſupergreſ-
oluio. ſus. Coarguatur ergo prius, hinc occidatur: iudiceturq; potius, quàm pœnas ante cognitionem incerto crimine pendat. Quemadmodum enim ſublati adulteri certiorem facient procreationem, neque quiſquam cuius ſit filius deinceps dubitabit, vbi paterni nominis inſidiæ adulteria fuerint adempta: ita quum ſit adulterium publica quædam rerum naturæ iniuria, publica quoque ſententia plectatur. Vereor enim ne adulter ſecretò occiſus, multos poſt ſe alios relinquat. Quando enim neſciunt reliqui quare perierit, improbè facta nihilominus æmulabuntur: atque hoc ipſum quòd punitus eſt, timeo vt non finis ſit, ſed initium futurum malorum.

## AVTOR INNOMINATVS DE RHETORICIS.

OMNES res iuxta rhetoricæ indagationem diſciplinæ argumentando confirmantur aut ex eo quod perſonis, aut ex eo quod negociis eſt attributum. Ac perſonis has res attributas putamus, nomen, naturam, victum, fortunam, habitum, affectionem, ſtudia, conſilia, facta, orationes, caſus.

Nomen. Nomen eſt quod vnicuique perſonæ datur, quo ſuo quæq; proprio & certo vocabulo appellatur. Nam de nomine nonnunquã aliquid ſuſpicionis ſiue argumentationis naſcitur: vt ſi dicamus idcirco aliquem calidum vocari, quòd temerario & repentino conſilio ſit.

Nam

Nam eiuſmodi nomina quaſi indices morum hominibus ſæpiſſime imponuntur.

Ac de natura licet aliquantulum ducere ſuſpiciones, Natura. cuius partes ſunt plurimæ. Aut enim ſexus cõſideratur, vt vir ne, an mulier ſit: aut natio, vt Graius, an barbarus: aut patria, vt Athenienſis, an Lacedæmonius: aut cognatio, quibus maioribus, quibus conſanguineis: aut ætas, vt puer, an adoleſcens: natu grandior, an ſenex. Præterea commoda aut incommoda conſiderantur, an natura data animo, an corpori, hoc modo: Valens an imbecillus, longus an breuis, formoſus an deformis, velox an tardus, memor an obliuioſus: pudens, patiens, an cõtrà: & omnia hæc quæ naturæ ſunt attributa ad aliquã coniecturam faciendam.

Et ex victu multæ trahuntur ſuſpiciones, cum quẽadmodum, & apud quos, & à quibus educatus & eruditus ſit, quæritur, & cum quibus viuat, qua ratione vitæ, quo more domeſtico viuat. Victus.

Et ex fortuna ſæpe argumentatio naſcitur, cum ſeruus an liber, pecunioſus an pauper, nobilis an ignobilis, felix an infelix, priuatus an in poteſtate ſit, aut fuerit, aut futurus ſit, cõſideratur: aut denique aliquid eorum quæritur, quæ fortunæ eſſe attributa intelligantur. Fortuna.

Habitus autem, quòd in aliqua perfecta & conſtanti Habitus. animi aut corporis abſolutione cõſiſtit, aut virtutis aut

ectio. Affectio eſt animi aut corporis ex tempore aliqua de cauſa commutatio: vt lętitia, metus, cupiditas, moleſtia, morbus, debilitas, & alia quæ in eodem genere reperiũtur. Et ideo affectionis quidem ratio perſpicuam ſolet per ſe gerere coniecturam, vt amor, iracũdia, propterea quòd & illorum vis intelligitur, & quæ res harum aliquam rem conſequantur, facie cognitæ ſunt.

adium. Studium autem, quod eſt animi aſſidua, & vehementer ad aliquam rem applicata magna cum volũtate occupatio: vt philoſophiæ, poeticæ, geometriæ, literarum. Facilè ex eo ducetur argumẽtatio eius quod res in cauſa deſiderabit.

Item ex conſilio ſumetur aliquid ſuſpicionis. Nam

onſilium. conſilium eſt aliquid faciendi non faciendíve excogitata ratio.

acta & aſus. Facta autem, & caſus, & orationem, tribus ex temporibus conſiderabimus: quid fecerit, aut quid ipſi acciderit, aut quid dixerit: & quid faciat, quid ipſi accidat, quid dicat: aut quid facturus ſit, quid ipſi caſurum, qua ſit vſurus oratione.

Iegocijs. tributa. Negociis quæ ſunt attributa, partim ſunt continentia cum ipſo negocio, partim in geſtione negocii conſiderantur: partim adiuncta negociis ſunt, partim geſtum negocium conſequuntur.

Continentia cum ipſo negocio ſunt ea, quæ ſemper adfixa eſſe videntur ad rem, neque ab ea poſſunt ſeparari. Ex his prima eſt breuis complexio totius negocii, quæ ſummam continet facti, hoc modo· Patris occiſio, patriæ proditio eſt. Deinde cauſæ eius ſummę, per quã,

&

& quamobrem,& cuius rei cauſa factum ſit quæritur. Deinde in ipſo genere negocii, quid actum ſit, deinde quid poſtea factum ſit.

In geſtione negocii, qui locus ſecundus erat, de his quæ negociis ſunt attributa, quæritur: locus, tempus, modus, occaſio, facultas.

Locus conſideratur,in quo res geſta ſit, ex opportunitate quam videtur habuiſſe negocium adminiſtrandum. Ea auté opportunitas quæritur ex magnitudine, interuallo,longinquitate,propinquitate, ſolitudine,celebritate, natura ipſius loci, & vicinitatis, & totius regionis.Ex his etiam attributionibus,ſacer, profanus:publicus,priuatus:alienus,an ipſius loci ſit de quo agitur, locus ſit aut fuerit. Locus.

Tempus autem eſt id quo nunc vtimur.Nam ipſum quidem generaliter definire difficile eſt, pars quædam æternitatis, cum alicuius annui, menſtrui, diurni, nocturníve ſpacii certa ſignificatione. In hoc & quæ præterierint conſiderantur:& eorum ipſorum quę propter vetuſtatem obſoleuerint, aut incredibilia videantur, vt in fabularum numerum reponãtur,& quæ iam diu geſta, & â memoria noſtra remota, tamen faciunt fidem verè tradita eſſe, quòd eorum momenta certa in literis extent:& quæ nuper geſta ſunt,quæ ſcire plerique poſſunt:& item quæ inſtent in præſentia, & cum maxime Tempu

aſio. Occaſio autem eſt pars temporis,habẽs in ſe alicuius rei faciendæ aut non faciẽdæ opportunitatem. Verùm in tempore ſpacium quodammodo declaratur, in occaſione ad ſpacium temporis faciendi quædam opportunitas intelligitur.Hæc in tria diſtribuitur genera, publicum,commune, ſingulare. Publicum eſt, quod ciuitas vniuerſa aliqua de cauſa freque᷉tat, vt ludi, dies feſtus,bellum. Commune, quod accidit omnibus eodẽ ferè tempore,vt meſſis,vindemia,calor, frigus. Singulare eſt,quod aliqua de cauſa priuatim alicui ſolet accidere,vt nuptiæ,ſacrificium,funus,conuiuium.

odus. Modus eſt in quo quemadmodum & quo animo factum ſit quæritur:cuius partes ſunt prudentia , & imprudentia. Prude᷉tiæ autem ratio quæritur ex his quæ palàm in perſuaſiones fecerit. Imprudentia autem in purgationem confertur:cuius partes ſunt,inſcientia,caſus,neceſſitas.

ultas. Facultates ſunt,aut quibus facilius aliquid fit, aut ſine quibus non fit.

iũctum gocio. Adiunctum negocio autem illud intelligitur , quod maius,& quod minus,& quod ſimile in negocio quod agitur,& quod æquè magnum,& quod contrarium,& quod plurimum dicitur,& quod diſparatum, & genus, & pars,& euentus. Et minus,& æquè magnum, & ex vi,& ex numero,& ex figura negocii, ſicut ex actu corporis conſideratur. Simile autem ex ſpecie comparabili aut conferenda atque adſimulanda natura iudicatur. Contrarium eſt,quod poſitum eſt in genere diuerſo ab eo cui contrarium dicitur. Plurimum diſtat, vt

frigus

frigus calor,vita mors. Diſparatum eſt autem id quod ab aliqua re præpoſitione negationis ſeparatur,hoc modo, ſapere & non ſapere. Genus eſt, quod partes aliquas complectitur, vt cupiditas. Pars eſt, quæ eſt ſub genere:vt amor,auaritia. Euentus eſt exitus alicuius,in quo quæri ſolet quid ex quaq; re euenerit,eueniat, euenturum ſit: vt ex arrogantia odium, ex inſolentia arrogantia.

Quarta autem pars eſt ex his quæ negocio dicebamus attributa, conſecutio. Eæ res in hac quæruntur, quæ geſtum negocium conſequuntur. Primum factum eſt,quo id nomine appellari conueniat. Deinde eius facti qui ſint principes & inuentores. Qui denique autoritatis eius & inuentionis comprobatores atque æmuli. Deinde quæ de ea re, aut quæ eius rei ſit lex,conſuetudo, pactio, iudicium, ſcientia, artificium. Deinde natura eius,vulgò euenire ſoleat, an inſolenter & raro. Poſtea homines ſua autoritate id comprobare, an defendere in his conſueuerunt, & cætera quæ factum aliquid ſimiliter confeſtim aut ex interuallo ſolent conſequi. Ac negociis ferè res hæ quas commemorauimus, ſunt attributæ.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE